

# EPISTULA LEONINA

## LXVI

PERIODICUM HEBDOMADALE  
 LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR SEMEL IN SEPTIMANĀ  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

**ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.**

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**SEXAGESIMAM SEXTAM (66) !**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam sexagesimam sextam.*

«*Vae victis!*» - horrenda illa verba Brenni Gallorum reguli famosissima a nobis tractantur. Afferuntur loci antiqui originales: Livianus, Plautinus, Plutarcheus. Duas symbolas Wikipedianas Latinē reddidimus: Cum theodisca symbola spectet ad testimonia Brenni Romana et Graeca, anglicā potius quaeritur, quae sit radix huius nominis celtici etymologica.

*Altera pars huius Epistulae Leoninae est mythologica: Perrexit in Latinum convertere mythos Graecorum a Gustavo Schwab theodiscē narratos. Adhuc agitur de Argonautis; qui nunc incident in Circen magam et Sirenas.*

*Tertia pars Leonina complectitur duo κειμήλια ex Grimmiano illo fabellarum thesauro pretiosissimo exempta et in Latinum conversa: “De Dominâ Trudâ” et “De Mortifero Patrino”.*

*Cara lectrix, care lector, sequaris, quaeso, verba Apulei Madaurensis narratoris ingeniosi: “Intende: laetaberis!”.*

**Tu autem pancraticē vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Solis, 24. m.Nov. a.2013**



**VAE VICTIS !**

**BRENNUS**  
**(4.sc. a.Chr.n.)**

Brennus et pars praedae, quae eidem attributa est (*Brenn et sa part de butin*).  
A.1893 pinxit Paul Jamin. cfr Livius 5,48,9. Plautus, *Pseudolus* 1317; Plutarchus, *Camillus* 28,5.



Brennus et Camillus. Illustration de Paul Lehuguer.

"Histoire de France en cent tableaux" by Paul Lehuguer, Paris, 1886

### LIVIUS, Ab urbe condita libri, 5,48, 7-9

[7] Postremo spe quoque iam non solum cibo deficiente et cum stationes procederent prope obruentibus infirmum corpus armis, uel dedi uel redimi se quacumque pactione possint iussit, iactantibus non obscurae Gallis haud magna mercede se adduci posse ut obsidionem relinquant.

[8] Tum senatus habitus tribunisque militum negotium datum ut paciscerentur. Inde inter Q. Sulpicium tribunum militum et Brennum regulum Gallorum conloquio transacta res est, et mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi factum.

[9] Rei foedissimae per se adiecta indignitas est: pondera ab Gallis allata iniqua et tribuno recusante additus ab insolente Gallo ponderi gladius, auditaque intoleranda Romanis uox, **uae uictis.**

**PLAUTUS, Pseudolus 1316sq. = 5,2,33sq.** Sim. Quid ego huic homini faciam? satin ulti et argentum aufert et me inridet? - Ps. **Vae victis.**

## PLUTARCHUS, Camillus 28,5

[4] συνελθόντος εἰς λόγους Βρέννω Σουλπικίου τοῦ χιλιάρχου τῶν Ρωμαίων, ὡμολογήθη τοὺς μὲν χιλίας λίτρας χρυσίου καταβαλεῖν, τοὺς δὲ λαβόντας ἐκ τῆς πόλεως αὐτίκα καὶ τῆς χώρας ἀναχωρεῖν. ἐπὶ τούτοις γενομένων ὅρκων καὶ τοῦ χρυσίου κομισθέντος, τῶν δὲ Κελτῶν περὶ τὸν σταθμὸν ἀγνωμονούντων κρύφα τὸ πρῶτον, εἶτα καὶ φανερῶς ἀφελκόντων καὶ διαστρεφόντων τὴν ὁπῆν, ἥγανάκτουν οἱ Ρωμαῖοι πρός αὐτούς.

[5] ὁ δὲ Βρέννος οἶον ἐφυβρίζων καὶ καταγελῶν ἀποδυσάμενος<sup>1</sup> τὴν μάχαιραν ἄμα καὶ τὸν ζωστῆρα προσέθηκε τοῖς σταθμοῖς. πυνθανομένου δὲ τοῦ Σουλπικίου, 'τί τοῦτο;' 'τί γὰρ ἄλλο,' εἶπεν, 'ἢ τοῖς νενικημένοις ὁδύνη;' τοῦτο μὲν οὖν ἥδη παροιμιάδης λόγος γέγονε. τῶν δὲ Ρωμαίων οἱ μὲν ἥγανάκτουν καὶ τὸ χρυσίον ὕστορο δεῖν λαβόντας αὐθίς ἀπιέναι καὶ τὴν πολιορκίαν ὑπομένειν οἱ δὲ συγχωρεῖν ἐκέλευνον ἀδικουμένους μέτρια, καὶ μὴ τῷ πλέον διδόναι προσλογίζεσθαι τὸ αἰσχρόν, αὐτό γε τὸ δοῦναι διὰ τὸν καιρὸν οὐ καλῶς ἀλλ' ἀναγκαίως ὑπομένοντας.



Vae Victis ! ("Alix - Les Légions Perdues ", auctore J. Martin)

[http://de.wikipedia.org/wiki/Brennus\\_%284.\\_Jahrhundert\\_v.\\_Chr.%29](http://de.wikipedia.org/wiki/Brennus_%284._Jahrhundert_v._Chr.%29)

### Brennus (4. saec. a.Chr.n.)



Sculptura Brenni galea alata instructi, 18. vel 19. saec., quae inventa est in quadam nave francogallica.

**Brennus** (gallice *Brennos*) fuit dux Sénônum gentis Gallorum, quae quarto saeculo p.Chr.n. Italiam usque in ipsam urbem Romam invasit eandemque diripuit.

Sênônês erant una ex eis gentibus gallicis, quae ex quarto saeculo a.Chr.n. incoluerunt Italiam septentrionalem. Ibi Senones urgebant Etruscos et cum Romanis, qui re publicâ liberâ circa annum 475 (quadragesimum septuagesimum quintum) a.Chr.n. conditâ ad magna surgebant, eo conflixerunt, quod illi ab Etruscis oppidum Clusium

incolentibus rogati erant, ut auxiliarentur. Romanos a Gallis cladem omnium gravissimam accepisse ad Alliam fluvium anno 387 (trecentesimo octogesimo septimo) a.Chr.n. verisimile est.<sup>[1]</sup> Dies istius proelii calamitosi, i.e. 18. (duodevicesimus) mensis Iulii, postea **dies ater** a Romanis appellatus est, quorum fines illo tempore vix maiores fuerunt quam Senonum. Galli autem victoriosi diripuerunt urbem Romam. Arx tantummodo Capitolii a defensoribus retenta est – fama fert anseres lunonis sacros clangore Romanos monuisse, ut animadverterent et repellerent Gallos nocte clam arcem invasuros.<sup>[2]</sup>

Cum Veneti invasissent in Italiam superiorem, Galli commoti sunt, ut se reciperent, sed antea cum Quinto Sulpicio Longo tribuno consulari pro redemptione pacti sunt mille libras auri<sup>[3]</sup>. Romani Brenno obiecisse feruntur, quod Senones, cum copiam auri mensurarent, uterentur ponderibus inquis. Deinde Brennus „**vae victis!**“ vocans dicitur gladium suum ponderi addidisse, ut Romanis pendenda esset copia auri etiam maior.<sup>[4]</sup> Haec verba in proverbii consuetudinem venit, ut postea citarentur a Plauto et Plutarcho.<sup>[5]</sup> Civitas Romana hac re multo minus perdidit pecuniae quam auctoritatis. Romani ista clade contumeliosa tam vehementer commoti sunt, ut quadamtenus amitterent fiduciam sui ipsius et per nonnulla decennia timore Gallorum affecti id curaverunt, ne iterum cum hac gente configerent. Itaque Jochen Bleicken historicus scribit haec quae sequuntur: „[Romani] istam calamitatem numquam obliti sunt; qua tanto terrore percussi erant, ut etiam multis saeculis post, imperio Romano iam usque ad fines orbis terrarum antiqui exaucto, omnis Romanus perhorresceret, quandocumque procul apparebat caterva Gallorum.“<sup>[6]</sup> Ne umquam fieret alter dies ater, Romani saeculis sequentibus magnam vim attribuerunt exercitui perpetuo militibusque bene docendis atque exercendis, quibus denique res militaris iisdem optime successit.

Utrum regulus Senonum nomine vero erat Brennus an postea hoc nomine appellatus est secundum illum Brennum, qui saeculo post eo simile factum est terriculamentum Romanorum Graecorumque, quod invasit in Graeciam extremam, incertum est.<sup>[7]</sup>

## Litterae secundariae

- [Hans Georg Gundel](#): *Brennus* 1. In: [Der Kleine Pauly](#) (KIP). tom 1, Stuttgart 1964, col. 942.
- [Reinhard Wolters](#): *Senonen*. in: [Reallexikon der Germanischen Altertumskunde](#) (RGA). 2. ed. tom 28, Walter de Gruyter, Berlin/New York 2005, [ISBN 3-11-018207-6](#), S. 172–175, hic p.173 (versio interretialis).
- [Joseph Vogt](#): *Die römische Republik*. Herder, Freiburg im Breisgau 1932, p. 54sq.

## Iunctiones interretiales

⌚ **Brennus (4. saec. a.Chr.n.)** – Imagines, scopocinematia, datothecae audibiles.

### Adnotations

1. ↑ utique 390 a.Chr.n.: Wolters, in: RGA, tom. 28, p. 173 et Gundel, in: KIP, tom.1, col. 942, indicant a.387; sed a.390 indicat Vogt, *Die römische Republik*, p. 54.
2. ↑ Livius 5,47,1sqq.
3. ↑ Livius 5,48,8sq.
4. ↑ Hoc tradit Livius 5,48,9.
5. ↑ Plautus, *Pseudolus* 1317; Plutarchus, *Camillus* 28,6. Quoad exclamationem, q.e. „Vae victis!“ cfr Klaus Bartels, *Veni Vidi Vici. Geflügelte Worte aus dem Griechischen und Lateinischen*, 11.a ed., von Zabern, Mainz am Rhein 2006, [ISBN 3-8053-3553-9](#), S. 174 (= [Kulturgeschichte der antiken Welt](#) tom. 102).
6. ↑ Bleicken, *Rom und Italien*, in: [Golo Mann](#), [Alfred Heuß](#) (edd.), *Propyläen Weltgeschichte*, tom. 4: *Rom und die römische Welt*, Propyläen Verlag, Berlin/Frankfurt am Main 1991, p. 57.
7. ↑ Ad hanc opinionem alludunt Gundel, *Brennus I*, in: *KIP*, tom. 1, col. 942 et RGA, tom. 16, p. 374.

<http://en.wikipedia.org/wiki/Brennus>

**Brennus** (sive **Brennos**) est nomen duorum antiquorum ducum Gallorum, qui in claritudinem pervenerunt:

- Brennus (4. saec. p.Chr.n.), regulus Senonum, gentis Gallicae, quae originem repetivit e regionibus, quae hodie appellantur *Seine-et-Marne, Loiret, Yonne*; a.387 a.Chr.n., in proelio ad Alliam facto, Brennus duxit exercitum Gallorum cisalpinorum in Romanos impetum facientium.
- Brennus (3. saec. p.Chr.n.), unus e ducibus exercitus Gallorum, qui invaserunt Macedoniam Graeciamque mediam et devicerunt Graecos congregatos prope Thermopylas.

Nomen Brenni toties invenitur, ut verisimile videatur idem potius esse titulum quam nomen proprium. Nonnulli viri docti saeculi undevicesimi opinati sunt verbum modernum *Cambricum* (i.e. *Welsh*), quod valet regem (*brenin*),<sup>[1]</sup> derivandum esse a nomine Brenni antiquo. At interim demonstratum est Brennum et *brenin* inter se non esse affinia (*brenin* – prius *breenhin* – derivatur a verbo Celto, q.e. *\*brigantinos*, quod significat "(aliquis) praecellens").<sup>[2]</sup>



Ecce cassis Celtica, quae inventa est in Dacoromania prope *Satu Mare* (in Dacia septentrionali), cassis aetatis ferreae corvo instructa (quae avis est insigne tribūs). Haec cassis fabricata esse videtur circa quartum saeculum a.Chr.n. Similis cassis depicta est in cortina *Gundestrupiensi*, ubi geritur a quodam equite. v. infra etiam picturam Brenni alterius (II.) sacra Delphorum diripientis modernam, in qua regulus gerit cassidem similem.

Saeculo duodecimo p.Chr.n. ineunte nonnulli auctores, velut *Geoffrey of Monmouth* in Historia sua Regum Britanniae, nomen Brenni rettulerunt ad nomen *Cambricum* personale, q.e. *Bran* et valet cornicem, sed similitudo horum nominum est superficialis et non est verisimile eadem esse eiusdem originis.

Exempla formarum variarum nominis Brenni sunt haec:

- **Brinno**, cuius nomen affertur a Tacito (*Historiae IV 15,2*)<sup>3</sup>, qui dicit eum esse *rebellis familiae nomine*.
- **"Brennius"**, ille vir, qui in "Historia Regum Britanniae" a *Geoffrey of Monmouth* dicitur Romam expugnavisse, videtur ab ipso auctore mente conflictus esse secundum exempla duorum Brennorum ab historicis traditorum.
- **"vir Anglus nomine Brennus"**, quem commemorat circa annum 1530 *Thomas Howard* tertius dux nobilis Norfolkianus cum *Eustathio Chapuys* ambasciatore Mariae Hungariae colloquens, videtur esse ille vir a *Geoffrey of Monmouth* mente conflictus. Dux Norfolkianus enim eo quod exemplum huius viri affert, quem dicit condidisse urbem Bristol et expugnavisse Romam, ambasciatori explicat Tudorianos petere auctoritatem imperialem.<sup>[3]</sup>

## Litterae secundariae

### Notae


1. Guest, Edwin; *Origines Celticae* (1883)
2. Karl, Raimund *Thoughts on the Evolution of Celtic Societies* University of Wales, 2007
3. Thomas Healy, *Times Literary Supplement* 24 June 2005 p 25, recensens Philip Schwyzer, Literature Nationalism and Memory in Early Modern England and Wales, Cambridge, 2005

## Litterae generales

John T. Koch, "Brân, Brennos: an instance of Early Gallo-Brittonic history and mythology", *Cambridge Medieval Celtic Studies* 20 (Winter 1990:1-20)

---

<sup>3</sup> TACITUS, *Historiae IV 15,2* Erat in Canninefatibus stolidae audaciae **Brinno**, claritate natalium insigni; pater eius multa hostilia ausus Gaianarum expeditionum ludibrium impune spreverat. Igitur ipso **rebellis familiae nomine** placuit impositusque scuto more gentis et sustinentium umeris vibratus dux deligitur, statimque accitis Frisiis (Transrhena gens est) duarum cohortium hiberna proximo applicata Oceano inrumpit. Nec providerant impetum hostium milites, nec, si providissent, satis virium ad arcendum erat: capta igitur ac direpta castra.



**Brennus II (3.saec. a.Chr.n.) sacra Delphorum diripiens**  
<http://www.flickr.com/photos/celico/3751742958/>



Brennus, regulus Gallorum, ponderi gladium addens a M. Furio Camillo interrumpitur.  
Haec imago picta est a *Francesco Salviati* (1510-1563)

**Symbols de Brenno scriptas Wikipedianas  
excerpsit et in Latinum convertit  
Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

## **MYTHI GRAECORUM (XXIX):**

### **Argonautae quomodo domum navigare perrexerint.**

*Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati, a Nicolao Groß Latinê redditi.*

Peleo suadente heroes e fluminis ostio profecti quam celerrimê navigando aufugerunt, antequam Colchi relict i resipuerunt. Idem autem cum animavertissent, quid factum esset, primo voluerunt hostes persequi, sed a lunone de caelo territi sunt fulminibus monentibus; cum autem timerent, ne filio filiaque non reportatis domi sibi immineret ira regis, remanserunt in insulis Diana in ostio Histri sitis ibidemque sedem stabilem et domicilium collocaverunt.

Argonautae autem nonnulla litora insulasque praeternavigabant necnon illam insulam, quam incolebat regina Calypso filia Atlantis. Iam patriae putabant se videre summos montes, cum subito Iuno consilia Iovis irâ incensi timens in illos excitavit procellam, qua navis vehementer adigeretur insulae Electridis. Nunc etiam lignum illud vaticinium coepit loqui, quo audientes timore corriperentur horribili. »Iram Iovis et errores marinos non evitabitis«, cava tabula sonuit, »antequam Circe dea maga caedem Absyrti crudelem a vobis abluerit. Castor atque Pollux orent deos, ut vobis maris semitas patefaciant et Circam inveniatis filam Solis et Persae.« Sic in crepusculo vespertino locutum est ôs navis Argonis ligneum. Heroes horrore perfusi sunt audientes mirum vatem tam terribilia enuntiantem. Sôli Castor et Pollux gemini tantâ audaciâ fuerunt, ut prosilirent deorum immortalium tutelam rogantes; navis autem perfecta est proici medium in sinum Eridani, ubi olim Phaeton curru solari adustus fluctibus inciderat. Nunc etiam ex vulnere Phaetontis ardantis profundissimo emituntur fumus atque favilla. Nulla navis hoc flumen transvolat velis levibus, sed medium in flamمام solet salire. Circumcirca in ripâ gemunt ventosâ Heliades Phaetontis sorores in arbores pôpulos mutatae et in humum instillant lucidas lacrimas succineas, quae a sole siccatae fluctu in Eridanum trahuntur. Argonautae ex hôc periculo servati sunt nave suâ veloci, sed taedio correpti sunt omnis cibi potionisque: nam die vexabantur foetore intolerabili, quem e fluctibus Eridani Phaeton mortuus exhalabat, et nocte auscultabant Heliadum lamentationes sonorissimas necnon lacrimas succineas, quae tamquam olei guttae in mare devolvebantur. Ripas Eridani praeternavigantes advenerunt ostium Rhodani eoque invecti si essent, non iam exissent vivi, nisi luna subito in scopulo aliquo apparuisset horribili voce divinâ illos praemonitura. Eadem cum navem nigris nebulis tutans obtexisset, Argonautae multis diebus noctibusque praeternavigaverunt gentes Celtarum innumerâs, usque dum tandem

aspicerent litus Tyrrhenicum breveque post feliciter portum insulae Circes invehementur.



**Ecce Circe maga ! Quae picta est a Wright Barker a.1910.**

Ibidem deam invenerunt magam in litore marino stantem caput undis lavantem. Quae somniaverat cubiculum totamque domum abundare sanguine flammâque devorari omnia venena magica, quibus alioquin advenas fascinasset; se ipsam autem cavâ manu haurire sanguineum, quo ignem exstingueret.

Aurorâ apparente Circe cubans hôc somnio atroci territa in litus marinum acta erat; ibi vestimenta capillosque lavit, quasi essent sanguine óblita. Ingentes bestiae aliis animalibus dissimiles membris diversissimis compositae gregatim eam secutae sunt, tamquam pecora pastorem e stabulo venientia. Heroes horrore correpti sunt, praesertim cum sólo vultu Circes aspecto iis iam persuaderetur illam esse sororem Aietae crudelis. Remotis terrorum nocturnorum vestigiis dea celeriter conversa bestias allertas ita permulsit ut canes.

Iason omnes sodales iussit in nave remanere, ipse autem cum Medeâ ad terram prosiluit puellamque refragantem secum protraxit versus

palatium Circes. Circe nescivit, quid extranei quaererent apud se. Illos iussit considere in sessibus pulchris. Argonautae autem quieti atque tristes ad focum aufugerunt ibique conserderunt. Medea caput imposuit ambabus manibus, Iason gladium, quo Absyrtum occiderat, solo impegit, manum gladio, manu mentum imposuit oculis non apertis. Tum Circe animadvertisit illos esse supplices necnon statim intellexit agi de exilio miserabili caedeque expiandâ. Cum ea lovem verecundaretur tutorem supplicum, hostiam postulatam immolavit porcellum scrofae adhuc viventis mactans lovemque obsecrans purificantem. Naiadibus, eius famulis, omnia piacula e domo colligenda erant; Circe ipsa ad focum constituta preces sollemnes faciens liba sacra combussit, ut iram Furiarum placaret patremque deorum obsecraret, ut is ignosceret hominibus caede maculatis. His omnibus finitis Circe primo peregrinos iussit considere in sellis nitidis, deinde ipsa consedit adversus illos. Tum ex illis quaesivit, quod negotium tractarent et quale iter fecissent, unde venissent, et quare petivissent tutelam suam; nam recordata erat somnium cruentum. Cum virgo capite erecto ipsam in Circae faciem conspiceret, dea animadvertisit oculos puellae esse mirandos; nam Medea ut Circe ipsa orta erat e Sole; necnon omnes ab hoc deo prognati sunt oculis radiantibus fulgoris aurei plenis. Nunc, cum dea postularet, ut audiret sermonem supplicis patrium, virgo coepit sermone Colchorum verê narrare omnia, quae facta essent de Aietâ et heroibus deque se ipsâ; caedem autem fratris Absyrti noluit confiteri. At deam magicam nihil iam latuit; tamen fratris filiae miserita: »Misera, inhonestê aufugisti et magnum nefas commisisti. Certê pater tuus in Graeciam veniet pro caede filii te ulturus. Ex me autem non alterum malum accipias, quia es supplex necnon cognata mei. At noli postulare auxilium a me. Abi cum viro peregrino, quicumque ille est. Neque mihi licet probare consilia tua neque fugam tuam probrosam!« His verbis auditis virgo correpta est dolore infinito. Capite obvoluto eadem amariter flevit, usque dum heros manu porrectâ vacillantem e Circae palatio secum eduxit.

At lunonem miseruit eorum, qui essent in tutelâ suâ. Quae nuntiam Iridem per viam arcûs caelestis versicolorem misit ad Thetidem deam marinam, quam iussit ad se venire et navem heroum tutelae suaे commendavit. Simulatque Iason et Medea navem advenerunt, favonii venti lenes coeperunt flare; laetis animis heroes ancoras solverunt velaque cava panderunt. Vento levi navis promota est; mox autem apparuit insula pulchrê florens, quae erat sedes sirenū fallacium, quae praeternavigantes solebant cantibus suis allicere et perdere. Quas alterâ parte dimidiâ aves, alterâ virginē nullus peregrinus praeternavigans evitavit.

Nunc quoque Sirenes in Argonautas versus cecinerunt cantica pulcherrima; illi iam funes ancorarios ad litus iacturi navemque appulsuri erant, cum Orpheus cantor Thrax e sede suâ surrexit et coepit lyram suam divinam tam vehementer pulsare, ut sono voces virginum obrueret: simul favonius quidam sonorus a deâ missus puppi navigii inflavit, ut cantus Sirenum per auras evanesceret. Unus tantum sodalium, Butes filius Teleonis, voci Sirenum clarae non restitit, sed e transtro in mare saluit et natavit cantum versus illecebrosum. Idem Butes perditus esset, nisi eundem aspexisset Venus montis Erycis Siculi domina. Quae virum mediis e gurgitibus ereptum proiecit in insulae promunturium, ubi inde erat habitaturus.



**Sirenes.** Quas a.1883 pinxit Charles Edouard Boutibonne.

Argonautae autem Butem tamquam mortuum luxerunt nova pericula subituri; nam in fretum pervenerunt, ubi unâ in parte scopulus Scyllae arduus fluctibus imminebat navem diffracturus, in alterâ gorges Charybdis aquas in abyssum dereptura navemque devoratura. Inter Scyllam atque Charybdin sub fluctibus saxa errabant e fundo abrepta, ubi alioquin est fabrica Vulcani ardentissima; nunc autem ea tantummodo fumum edebat, quo aether tenebris completeretur. Hôc loco undique argonautis obvenerunt Nereides nymphae marinae; in puppi navigii earum principissa, ipsa Thetis, gubernaculum comprehendit. Omnes unâ navem circumnatabant, et quandocumque eadem appropinquaverat saxis fluctuantibus, una nympha alteri eandem appulsabat, quasi virgines pilâ luderent. Modo navis cum undis sursum

volabat ad nubes, modo deorsum in profunda. In summo scopulo hoc spectaculum spectabat Hephaestus malleo in umerum imposito; spectabat quoque e caelo stellato luno lovis uxor; eadem autem dea, cum vertigine esset correpta, Minervae manum comprehendit. Tandem Argonautae, postquam pericula feliciter effugerunt, iter perrexerunt per mare altum, usque dum venirent ad insulam, ubi habitabant boni Phaeaces eorumque rex pius Alcinous.

**MYTHUM ARGONAUTARUM  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**  
**NICOLAUS GROSS**  
<http://www.leolatinus.com/>

## FABELLAE GRIMMIAE



---

### DE DOMINA TRUDA



Aliquando fuit quaedam puellula obstinata et curiosa, quae, si quid sibi a parentibus praeceptum erat, non obtemperabat: num hoc erat bene evasurum? Quodam die puella parentibus dixit: »Heus toties audiebam de Dominâ Trudâ, ut velim illam accedere; homines dicebant apud illam

aspici tam mirabilia, et narrabant in illius domo esse res tam miras, ut fierem perquam curiosa«. Parentes severê puellae interdicentes, ne illam accederet: »Domina Truda« inquiunt »est mulier mala, quae impia agat, et si tu illam accesseris, non iam eris puella nostra«. At puella parentium interdictum negligens tamen Dominam Trudam accessit. Cum autem illam advenerit, Domina Truda: »Quare« inquit »tam pallida es?« - »Eheu« puella respondit toto corpore tremente »tam vehementer territa sum eo, quod vidi«. - »Quid vidisti?« - »Vidi virum nigrum in scalis vestris versantem«. - »Is fuit carbonarius«. - »Deinde vidi virum viridem«. - »Is fuit venator«. - »Tum vidi virum sanguineum«. - »Is fuit lanius«. - »Eheu, Domina Truda, formidavi, per fenestram perspiciens non vidi te, sed diabolum capite igneo instructum«. - »Eho!« inquit »ergo vidisti saganam apto ornamento instructam: ego te diu iam exspectavi et advocavi, ut mihi luceres«. Tum Truda puellam mutavit in truncum ligneum eundemque in ignem iniecit. Idem autem truncus cum incanduisset, Truda consedit iuxta ignem et calefacta: „Eia“ inquit „quam lucidê lucet!"

\* \* \* FINIS \* \* \*

## DE MORTIFERO<sup>\*</sup> PATRINO

Viro pauperi cum essent duodecim liberi, laborandum fuit die noctuque, ut illis daret panem. Cum nasceretur infans tertius decimus, vir nesciens, quid faceret, excurrit in magnam viam ruralem rogaturus ut primus, quem conveniret, fieret patrinus. Primus autem, quem vir convénit, fuit carus Deus. Qui cum iam sciret, quid viro cordi esset, ad illum dixit: »Misere vir, cum misereat me tui, ego infantulum tuum suscipiam baptizatum et curabo et in terris beabo«. Vir interrogavit: »Quis es?« – »Sum carus Deus«. – »Si ita est«, vir inquit »nolo te facere patrimum infantuli mei. Tu enim das divitibus, pauperes sinis esurire«. Hoc dixit vir, quia nescivit, quam sapienter Deus distribueret divitias et paupertatem. Ergo vir a Domino aversus ire perrexit. Tum diabolus eum accessit et: »Quid« inquit »quaeris? Si me patrimum feceris infantuli tui, ego ei dabo ingentem copiam auri necnon omnem mundi voluptatem«. – Vir interrogavit: »Quis es?« – »Sum diabolus.« – »Si ita est«, vir inquit »nolo te facere patrimum infantuli mei. Nam tu homines fraudas eosque inducis in temptationem«. Vir autem iter perrexit; tum Dominus Mortifer cruribus macerrimis incedens virum adiit et: »Fac me« inquit »patrimum infantuli

---

<sup>\*</sup> Titulus originalis est „Der Gevatter Tod“. Sed cum «mors» in Latino sermone sit feminini generis et Romani eandem pro deâ habuerint et mulieres non possint esse patrini, malui in versione meâ in locum «Mortis» supponere «Mortiferum» (sc. Dominum). Haud scio an aptius utar nomine mortis Graeco, quod est generis masculini: ὁ Θάνατος. Monet haec fabella me Sisyphi τὸν Θάνατον fraudantis necnon illius Bavari nomine «Brandner Kaspar», quem Franz von Kobell pulcherrimè descriptis in fabulâ a.1871 divulgatâ.

tui«. Vir interrogavit: »Quis es?« – »Ego sum Mortifer, qui omnes aequat«. Tum vir dixit: »Tu es dominus aptus, tu aufers tam divitibus quam pauperibus, tu volo fias patrinus infantuli mei«. Mortifer respondit: »Infantem tuum reddam divitem atque illustrem; nam cui ego sum amicus, ei nihil deest«.



Vir dixit: »Proximo die Dominico futuro fiet baptisma, fac ut maturê venias«. Deinde Mortifer sic apparuit ut erat pollicitus et munere patrini ritê functus est.

Cum puer adolevisset, aliquo die patrinus intravit et dixit, ut ille secum abiret. Puerum foras abduxit in silvam, eidem monstravit herbam ibi natam et: »Nunc accipies donum a patrino tuo. Te enim faciam medicum illustrem. Quandocumque ad aegrotum vocaveris, tibi apparebo. Si stetero ad aegroti caput, licebit audacter promittas te illum sanaturum esse, eique indas illam herbam, ut reconvalescat. At si stetero ad aegroti pedes, is erit meus, tibique dicendum erit frustra fore, ut ille quoquomodo

adiuvetur. At cave, ne herbâ utaris me invito; hoc si feceris, male tibi evadet«.

Nec mora, iuvenis factus est medicus totius orbis terrarum illustrissimus. ›Hic iuvenis aspecto tantum homine aegroto iam scit, utrum is reconvalescat an sit moriturus‹, sic homines de hōc medico dicebant, et ex longinquo adveniebant homines, eum ad aegrotos arcessebant eique tantum auri dabant, ut mox dives fieret. Deinde factum est, ut rex in morbum incideret. Medicus est advocatus, ut diceret, num fieri posset, ut ille reconvalesceret. At lectum cum accessisset, vidi Mortiferum stare ad aegroto pedes ideoque nullam herbam praesto esse, qua rēgi mederetur. ›Utinam semel saltim mihi contingat, ut Mortiferum decipiam‹, medicus cogitavit, ›certē indignabitur, sed quia sum filius eius spiritualis, haud scio an in hac re coniveat. Itaque audebo.‹ Ergo aegrotum comprehendit et invertit, ut Mortifer non iam staret ad illius pedes, sed ad caput. Deinde aegroto indidit aliquantum herbae; quo factum est, ut rex refectus reconvalesceret. At Mortifer ad medicum vēnit vultu funesto atque iracundo, digito minans: »Tu me« inquit »deruncinasti; semel tibi ignosco, quia es filius meus spiritualis, sed si hoc facere iterum ausus eris, premēris faucibus et ipse a me abducēris«.

Paulo post filia rēgis incidit in morbum gravem. Quae cum filia eius esset unica, rex die noctuque lacrimabat, ut oculi eius obcaecarentur, necnon iussit enuntiare fore, ut is, qui filiam suam morti eripuisset, fieret filiae maritus et heres corona regalis. Medicus autem, cum ad aegrotae lectum venisset, ad eius pedes conspexit Mortiferum. Debuit recordari monita patrini, sed filiae regis magnā pulchritudine necnon spe conubii felicissimi tam vehementer infatuatus est, ut in vanum abirent omnia verba monentis. Medicus non vidi Mortiferum in se conicere oculos iracundissimos et manum tollere et digitis macerrimis minari; aegrotam sustulit, caput eo loco posuit, quo pedes erant positi. Deinde principissae aegrotae indidit herbam, ut eiusdem vita mox restitueretur.

Mortifer autem iterum possessione suâ fraudatus longis gradibus in medicum invectus: »Actum est de te«, inquit »et ordo nunc te vocat«, manu gelidissimâ illum tam durē comprehendit, ut non resisteret, et duxit in cavernam subterraneam. Ibi medicus vidi milles millena candelarum lucere tot ordinibus posita, ut oculis terminare nequiret, nonnullae maxima, alia minora, alia minima. Omni momento temporis nonnullae candelae exstinguebantur, aliae relucescebant, ita, ut flammulae viderentur flagrare vicissitudine perpetuâ. »Viden'?«, Mortifer inquit, »Hae sunt candelae vitales hominum. Maximae spectant ad infantes, minores ad coniuges aetate florentes, minimae ad senes. At ipsi quoque infantes adulescentesque saepe parvam tantum habent candelam«. —

»Monstra mihi candelam meam vitalem«, medicus dixit opinans eam adhuc esse sat magnam. At Mortifer digito indicavit glaebulam candelae residuam, quae modo erat interitura, et dixit: »Ecce eam hic esse«. — »Eheu, mi care patrine«, medicus territus inquit, »accende mihi novam, fac hoc meâ causâ, ut fiam rex et maritus pulchrae filiae rēgis.« — »Hoc non possum«, Mortifer respondit, »necesse est, ut vetus exstinguatur, antequam nova lucescat«. — Medicus: »Ergo veterem« inquit »impone novae, quae perget lucere, postquam illa desierit«. Mortifer autem simulavit se optatum medici explere, magnam candelam recentem assumpsit, sed quia ulcisci voluit, candelam infigens de industriâ tam vehementer appulit, ut illa inversa exstingueretur. Mox medicus delapsus ipse manu mortis est correptus.



\* \* \* FINIS \* \* \*

Has fabellas Grimmianas  
excerpsit et in Latinum convertit  
Nicolaus Groß  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>



# ***Recitator***

Fabula romanica

quam theodiscē scripsit

**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima

in domo editoriâ, quae appellatur

**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ

a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directē per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM  
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
SEXAGESIMAM SEXTAM**

**EL 66**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**d. Solis, 24.m.Nov. a.2013**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**